5.^o Frequentem accessum ad sacramentum penitentie, nedum utilem et
est omnino necessarium esse omnibus gradientibus in via virtutis, ac vi
pravas inclinationes in se eradicare conantibus, tum similem pro e-
modo internarum dispositionum, panis eucharistici manducationem is
ad conservandam vitam gratie, acquirendum spirituale robur, am-
bulandumque usque ad ipsum sublimis perfectionis montem,
efficacissime ac unice conferre constans docet experientia. Per
penitentie enim lavacrum semper amplior conscientie acquiritur
mundities, et repetita sepius detestatio peccati cum voluntate non
peccandi de cetero, juncta sacramentali gratie, facile tibi chri-
stianum hominem non permittit, sacra vero Eucharistia id pre-
stando, ut nos in Christo maneamus et Christus maneat in nobis, ab o-
mnibus illis, que sunt contraria saluti nostre, nos potentissime pre-
servatos reddit, facitque nos nihil velle, nisi quod Christo placet, et quod
in moribus nostris perfectam Christi exhibere valet imaginem. Dispo-
nimus proinde, quatenus alumni Seminarij, ultra festa Salvatoris et
B. V. Marie, omni quindena, Dominicis diebus peccata sua confiteantur,
et secundum judicium suorum respectivorum Confessariorum, ad
mensam eucharisticam accedant, eoque consultius expedire censemus,
ut pridie Communionis, in sua communi stuba, confessariis latebras
animarum suarum patefaciant, et quatenus pro hujusmodi prestando
sibi obsequio opportuniorem Ministrorum Sacramenti peniten-
tie habeant copiam, preter moderatores professoresque Seminarij, qui con-
fessarii alumnorum seminarii, ex ipsis officiis suis pro exigentia esse non re-
cusabunt, alios quoque bene visos Sacerdotes, pro isto Confessariorum
Seminaristicorum munere designandos nobis reservamus, qui bora vesper-
tina ante cenam, pro audiendis confessionibus Alumnorum invitati, ad
stubam Seminaristicam se reddere non grave habebunt. Insistentes
autem communi omnium spiritualis vite doctorum sensui, hortamur
maximopere singulos alumnos, ne semel electum confessarium facile mutent,
uni enim electo aperiendo semper cum sinceritate omnes lapsus, infi-
delitates et propensiones suas, totum statum conscientie sue illi
notum faciunt, ac exinde eum in facilitate saluberrima constituunt,
certa et congrua suggerendi ipsis consilia, quibus mediis vitiorum fo-
mites in se reprimere et contrarias eidem vitiis virtutes emulan-
das sibi proponere debeant, utpote similis detrimenti est ad sanandas ani-
mas ac ad sublevanda corpora novos continuo medicos querere et adhibere.
Sic deinde bene mundato beneque preparato cordium suorum habitaculo ad
altare Domini se presentabunt, ac in missa, quam unus e DD. moderatoribus
seu professoribus celebrabit, finita Confer[entia], quam inferius prescribi-
mus, omnes simul, ut sibi mutuo pietatem inspirent, populique exemplum
prebeant, servato ad normam cerimonialis ordine, Deum Salvatorem
suum cum fervantissima devotione suscipient.

6.^o Ad manutenendum augendumque, ac contra quasvis mundanas ten-
tationes muniendum in alumnis Seminarij spiritum vocationis ecclesiastice,
nihil efficacius prodesse poterit, quam si congruis instruantur animenturque
exhortationibus, ad querendos indesinenti studio spirituales profectus; statuimus
proinde, ut singulis dominicis et festivis diebus, finito in Ecclesia matutino,
ad stubam communem immediate se conferant, ubi instituta per quadrantem
hore meditatione, D. Regens, sive illo impedito, alter e DD. Professoribus,

substitutus, per mediam saltem horam, sumpta ex punctis meditatio-
nis occasione, exhortationem ad illos faciet, in qua verbis nervosis
ponet, quae opportuna esse in Domino judicabit, ad confirmandos
dictos alumnos in dilectione Dei super omnia, in pietate, in mode-
stia, in amore castitatis, in continua cura crucifigendi concupiscen-
tias, in fuga pravorum occasionum, in evitatione otii, in horro-
rem cujusvis peccati, ac in omnibus illis dispositionibus, quibus pollere
debent illi, quos (: Numeror. XVI. 9:) separavit Deus ab omni populo et
junxit sibi, ut servirent Ei in cultu Tabernaculi; istudque exercitium
per recitationem Litaniarum de nomine Jesu concludetur. —
Jam autem die recreationis, quae erit semper Feria Vta cujuslibet
hebdomadae, et in qua ab ordinariis lectionibus vacabitur post con-
sectam de mane meditationem, D. Regens, sive in loco ejus, prae-
sidens meditationi, mandabit uni pro arbitrio suo ex alumnis,
ut fructum ex meditatione quaesitum enarret, idque in duobus punctis,
in uno, exempli gratia, referendo motiva ad acquirendam aliquam
virtutem, sive declinandum vitium, in altero vero congrua ad hunc
finem proponendo media, ac ut omnes alumni ad narrationem
hujusmodi bene et ordinate pronuntiandam sint parati, pridie super
objecto incidentis in crastinum meditationis reflectent, invocatoque
auxilio luminis divini dicenda intra se disponent. Hac tandem enar-
ratione per alumnum expleta, praesidens meditationi dicta reas-
sumet, atque illis suas reflexiones breviter, ast nervose, quibus animi
juvenum ad aemulanda semper meliora charismata roborari valeant,
superaddet.
7o Potentissimis auxiliis divinis alumni Seminarii opus habent, ut se
custodiant sine macula, et prout de Levitis V. T. scriptum est (: II. Mach. 10. 42:)
sint totam voluntatem habentes in lege Dei, et juxta monitum
Apostoli (: II. Tim. IV. 5:) sine intermissione vigilent, laborent, mini-
sterium suum impleant, sobrii sint in omnibus, nunquamve a via
mandatorum Dni declinent. At auxilia ista non sunt promissa, nisi
per continuam orationem invocantibus illa: petite et accipietis, pul-
sate et aperietur vobis. (: Luc. XI. 9:) Faciant igitur sibi alumni habi-
tum orationis, ac frequenter elevent mentem in Deum, praesertim vero
constituti ante SSmi Sacramentum, exponant illi illimitata fiducia omnes
indigentias suas Xto speciebus eucharisticis velato, qui non manet no-
biscum in hoc infiniti amoris sui mysterio, nisi ut quovis tempore
possimus venire ad eum omnes, qui laboramus et onerati sumus, et ipse
reficiat nos. Ac quatenus dulcem istam conversandi cum Xto, veram
et realem suam in eucharistia nobis exhibente praesentiam, indu-
cant consuetudinem, ordinamus ut singulis diebus, in quibus dispersi
non intervenient, hora 2da pomeridiana pro visitatione SSmi Sa-
cramenti ad Ecclesiam descendant, eoque fine clavem a janua Ec-
clesiae, quae est a latere majoris altaris (per D. Vice custodem
sibi concessam habebunt.
8o Nullae praecautiones nimiae sunt, quas adhibere oportet ad prae-
servandos animos Alumnorum Seminarii, utpote in aetate adolescen-
tiae suae nondum solidis circa diversa animarum pericula edoctorum
experientiis, ab illa dissipatione spiritus, quae eos in nimio liberio-
ri cum exteris conversationis momento perdere, vel saltem vacillantem
reddere faceret totum multis exercitiorum Seminaristicorum laboribus acqui-
situm

quinquamve satis aestimandum pietatis sensum. Hinc fuit quod Ambrosius, Augustinus, Joannes Chrysostomus aliique sancti Ecclesiae Praelati, qui vivam supremi pastoris et Episcopi animarum nostrarum in se repraesentabant imaginem, non aliter servandae morum integritati in Clericis suis consultum fieri posse existimabant, nisi sub imperiosa frequentantibus mundum abdendo clausura. His itaque salutaribus exemplis, et aliorum bene ordinatorum Seminariorum observationi insistentes, in hoc etiam Luceoriensi Seminario exactam constitui disponimus clausuram, et ab ejus sera duplici confecta clave, unam D. Regens penes se habebit, ut quovis tempore etiam inspectatus intra Seminarium ingredi possit; clavis vero altera apud Praefectum, unum e numero alumnorum maturiorem probatioremque a D. Regente constituendum manebit; appendeturque ad januam Seminarii ficam campanula, quae ab habente aliquod ad alumnos negotium, pulsabitur, istudque negotium extra januam brevibus in praesentia Praefecti expedietur; quodsi longius extra Seminarium quempiam alumnum morari vera necessitas exigat; id fieri non poterit, nisi cum licentia D. Regentis vel Vice-regentis. Exire etiam quopiam non solum extra muros Collegii, sed etiam ad quemcumque e Sacerdotibus in Collegio cathedrali manentibus, ulli alumno minime permissum erit, nisi pariter causa cognita et obtenta facultate a D. Regente seu Vice-Regente, atque tempore commorationis extra Seminarium praefixo, quo elapso rediens alumnus D. Regenti seu Viceregenti se praesentare tenebitur, quatenus ita alumni ab omni plurimis offensionibus patente extraneorum consortio segregati, amorem solitudinis concipiant, quam Sacerdotes postmodum effecti maxime sibi proficuam experientur ad capiendam suavem in conversione mentis suae erga Deum respirationem, postquam ob necessitatem praestandi animabus obsequii, tumultibus saeculi se exponere adacti fuerint, neque se in societates mundanas effundent, nisi indispensabili officii sui exigentia compulsi. In Seminario vero degentes, cum totum tyrocinii sui tempus formandis in se Sacerdotalibus virtutibus unice impendere debeant; studium istud non aliter nisi solitudini addicti, et ab omnibus distractionibus seclusi perficere valebunt, discent quoque sub clausurae custodia evitare jam perniciosam otiositatem, quae juxta Bernardum [: libro III. de Consider. [illegible] c. 13:] est mater nugarum, et noverca virtutum, jam profana et vaniloquia, quae juxta Apostolum [: II. Tim. II. 16:] multum proficiunt ad impietatem, jam contrarios sobrietati excessus, ex quibus sensim contractus ebrietatis habitus, totum hominem animalem efficit, ut nullatenus percipiat ea, quae sunt spiritus. Vigilantissimum proinde zelum D. Regentis interpellamus quatenus firmata omnimode taliter constitutae per nos Seminarii clausura, nullo praetextu eam relaxari permittat, omnibusque depravationis occasionibus intra eam aditum districtissime praecludat.

9no Quoscunque tandem alumni Seminarii adhibuerint conatus, ut digne ambulent vocatione, qua vocati sunt, sanctificationemque suam continuis promoveant incrementis; ipso tamen pondere fragilitatis suae pressi deficient in via, et a concepto primitus fervore degenerabunt, nisi per peculiares aliquot dierum Recollectiones, vires animarum suarum reficiant, et juxta monitum Apostoli [: ad Ephes. IV. 23:] renovare se spiritu mentis suae studeant.

Quapropter singulis annis iidq a dominica IV. Quadragesimæ de vespere
Recollectiones hujusmodi inchoando, eas ad feriam 6tam sequentem in-
clusive continuabunt, eodem ordine servato, quem pro toto Dioecesis nostræ
Clero præscripsimus, directoremque istarum recollectionum cum bene-
atque Perill. Andreæ Dnø Miodusrowski Scholastico Cathedralis, pro suo
exemplari erga dilatandum veræ pietatis spiritum zelo fructuosissime egerit
non dubitamus Illum ad augendum amplissimorum meritorum suorum cumulum, etiam
ulterius salutari ~~docti~~ directioni hujusmodi suam impensurum operam
pro qua designato superius tempore per D. Regentem invitabitur
10mo His itaque omnibus, quæ hic præscribenda esse censuimus, exercitiis va-
cantes alumni Seminarii se formare diligenter curabunt in viros perfe-
ctos, in mensuram ætatis plenitudinis Christi (: ad Eph. IV. 13:) ut postmo-
dum ad gradum sacerdotii evecti, in omni gestu, incessu, conversatione,
totaque vita sua, Christum in se videre faciant. Nihil immodestum
etiam in exteriori habitu, congrua nihilominus munditie servata,
quæ interioris quoque puritatis amorem significet, præseferant;
ad normam Christi, qui parentibus subditus esse voluit, obediant Præpositis
suis, et subjaceant eis; nefarium enim scelus est, ait S. Cyrillus Alexandrinus
(: de ador. in spir. lib. 23:) et apud Deum capitale crimen, insurgere adver-
sus caput, ac Præpositis ut iis, qui Dei voluntate atque arbitrio principem
locum tenent, nolle subjacere. Diligant se ad invicem, sintque unum
sicut Xtus cum Patre unum est. (: Joan. XVII. 11:) neque ulli invidiæ, con-
tentioni aut æmulationi locum inter se habere permittant, discant a
Xto esse mites et humiles corde, omnemque detestentur jactantiam
et superbiam, verbo, Xtum sub hos tyrocinii sui annos tanquam adæ-
quatissimum perfectionis sacerdotalis exemplar sibi imitandum quavis
in occasione proponant. Non ignoramus quidem nonnihil difficultatis
ab alumnis esse subeundum in exercitiis hujusmodi; verum ut bono sint
animo, nulloque labore deterreantur, frequenter meditentur illud A-
postoli (: ad Hebr. XII. 11.12:). Omnis disciplina in præsenti quidem videtur
non esse gaudii sed mœroris; postea autem fructum pacatissimum
exercitatis per eam reddet justitiæ; propter quod remissas manus
et soluta genua erigite.
Ad obtinendas præterea necessarias hac in parte a Deo gratias, com-
mitate vobis filii dilectissimi, potentissimum intercessionis B. V. Mariæ
subsidium, ipsam vobis in specialem Dominam, Protectricem, ac Ma-
trem eligite, eam ~~filii~~ filiali affectu prosequimini, illius frequen-
tissimis iisque ferventissimis precibus invocate tutelam, in omnibus tribu-
lationibus, angustiis, et quibuscunque difficultatibus; si enim, ut ait S. Ansel-
mus, neminem illa perire permittit, qui ad ejus patrocinium recurrit, omnes-
que fideles ut filios suos respicit, quibus a moriente Xto in matrem est
data; quanto magis in vos misericordiam suam extendet, qui peculiari
vocatione Xto filio ejus associati estis, certe ipse amor, quo erga honorem
filii sui hæc Sma Virgo fertur, movebit illam ad impetranda vobis opportu-
na auxilia, ut ejusdem filii sui digni amici dignique efficiamini ministri.
Habete quoque in singularem patronum tutoremque præsertim puritatis
vestræ S. Josephum Sponsum B. V. Mariæ, qui uti ad custodiam in-
fantiæ juventutisque Xti electus esse meruit, ita contractam a se familiari
ad Xtum accessu, vestram quoque ab omni lapsu præservabit adolescentiam, ob-
tinebitque vobis, ut per imitationem virtutum Xti, divinæ juventuti ipsius
conformes

conformes reddamini. Adjicite insuper in advocatum vestrum, pro
conservanda pretiosissima innocentiæ virtute, S. Aloysium Gonzaga,
qui per austeritatem vitæ, omnibus mundi et carnis illecebris superior
evasit. In tutelarem demum Seminarii hujus Patronum commenda
mus vobis S. Franciscum Salesium Episcopum, qui in operibus suis vera pie
tatis demonstrando viam, jugum Domini suave et onus ejus leve exhi
bet; illius libros signanter vero Introductionem ad vitam devotam
pro lectione spirituali evolvite, ejus monita cœlestem unctionem
spirantia, familiaria vobis reddite, ut spiritu illius imbuti, animas
tandem, quæ vestræ committentur solicitudini, ad æternam bea
titudinem securis ab eodem sancto traditis regulis dirigere discatis.

De Studiis Seminaristicis.

Non hic est duntaxat scopus, quem commorationi suæ in Seminario de
bent proponere alumni, ut ipsi solum Sancti sint, ast etiam ut ad
alios sanctificandos, atque ad dandam scientiam salutis plebi Dei
sese habiles et idoneos efficiant. Destinatio illorum est, ut suo tempore
ad sacerdotium promoti, sint lumen mundi, duces populorum, judices,
et medici animarum, interpretes Legis divinæ, depositarii æternarum ve
ritatum, dispensatores mysteriorum Dei. Quanta igitur applicatione la
borandum est illis, ne tenebris ignorantiæ obscuratum intellectum ha
beant, ne cæci cæcis ducatum præstando, et se et alios in foveam
perditionis protrudant, ne per inscitiam suam jugulationis anima
rum se reos faciant, ne requirentes de ore eorum legem Dei, errorum
veneno inficiant, ne circumferantur omni vento doctrinæ, capianturque
astutia illorum impiorum hominum, qui in his vel maxime procellosis
temporibus, contra omne, quod divinum est, sese extollere præsumunt, ne
denique ministrando sancta indignis, nefandorum sacrilegiorum participa
tione se inquinent. Sicut proinde juxta S. Isidorum (lib. III. sent. c. 35:) jun
qui et peccatores mysterium sacerdotale assequi prohibentur, ita indocti
et imperiti a tali officio retrahuntur; illi enim exemplis vitam bonorum
corrumpunt, isti vero sua ignavia iniquos corrigere nequeunt. Opus autem
est, ut vocati ad sacerdotale ministerium, bene imprimis sint versati in S.
Scriptura. Iste quippe aureus liber est dictatus a Spiritu S.o, omniumque san
ctissimus, in quo edocemur de sanctitate Legis divinæ, de magnificentia
operum Dei, de omnipotentia brachii ejus, de magnitudine misericordiarum,
de veritate oraculorum illius. Iste liber demonstrat nobis Deum ita magnum, ut
omnia in conspectu ejus disquereant, ita potentem, ut auferente illo conserva
tionem suam, totam naturam in nihilum redigi sit necesse, ita sapientem,
ut omnia suaviter et fortiter ad constitutum ab eo finem dirigantur, ita
bonum, ut nemo illi cor suum recusare, nemoque fiduciam in illo perdere
valeat. Scriptura S.a divinitus inspirata, ut ait Apostolus, (II. Tim. III. 16. 17:) uti
lis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in
justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus; hinc
nihil familiarius esse viro Ecclesiastico debet, quam continuum divinarum
litterarum studium. Sed quia in libris S.æ Scripturæ multæ mysteriosæ
reperiuntur obscuritates, quibus diversarum hæresum authores superba in se
ipsis ductos fiducia pessime abusos esse, nemini est ignotum; divina idcirco
providentia integritati Ecclesiæ suæ orthodoxæque fidei consulendo, ne, ut ait
Apostolus, prophetia Scripturæ propria interpretatione fiat (II. Petri I.) in
variis seculis concessit Spiritu suo inspiratos SS. doctores et Patres, quos super
naturali

replevit lumine, ut nobis verum Scripturarum aperirent sensum, et traditiones Ecclesiasticas, quas tenendas commendat Apostolus (II. Thess. II.) perpetuis mandarent monumentis; notitiam proinde eorundem SS. Patrum necessariam esse Sacerdoti, nemo est qui ambigat. — Tum solidam Theologiae Dogmaticae scientiam possidere debet Sacerdos in tanta praesenti multitudine ad praesens fortium, ut se appellant, spirituum, qui infinitam divinorum mysteriorum magnitudinem angustis ingeniorum suorum mensurare praesumunt limitibus; ut eorum tela retundere, rationemque fidei allatam a Deo reddere valeat. Istius nempe theologiae auxilio (ait S. Augustinus (lib. XIV. de Trinit. c. 1.) fides generatur in infideli, conservatur in fideli, defenditur ab haereticis, roboratur in omnibus cordibus ut ea omnia D. Deo subiciat. At praecipue Theologiae moralis, quae directionem conscientiarum et cordium pro objecto habet, ars artium est, et quantocunque studio illi Sacerdos incumbat, nunquam satis profunditates illius attingere potest; quis enim juxta prophetam (Jer. XVII. 9.) penetrare potest cor hominis, nisi qui illud formavit! Tandem non minoris necessitatis est Sacerdoti callere Historiam Ecclesiasticam, quae est historia Domus Dei, cujus nos domestici, et ex ea discimus, quantis miraculis constituta est crevitque Ecclesia, quibus tempestatibus jactata est, quantis prodigiis ejus conservatur perpetuitas, quantis laboribus egerunt Sancti, ut nobis exemplis suis viam Religionis et pietatis tererent, et si ista sciuntur a saecularibus; quantus pudor esset virum Ecclesiasticum ministeriis sacratum, eorum ignorantia laborare! Simili sacerdos adversetur nota, si in Legibus Ecclesiasticae disciplinae, super quibus tota Sa. Hierarchiae basis innititur, peregrinus esset; et ideo a summo Pontifice Coelestino I. decernitur (Epistola 3.) nulli sacerdotum liceat Canones ignorare, nec quidquam facere, quod Patrum regulis obviare possit — In praxi insuper administrationis Sacramentorum, SS. Rituum, Rubricarum Missae et Officii Divini, nec non Cantus Ecclesiastici bene peritum esse sacerdotem, exigunt jam sanctitas divinarum dispensationum, jam reverentia erga sacras actiones debita, jam cultus divini majestas, quae externos fidelium feriendo sensus, internam eorum devotionem excitet. Ut autem de istis omnibus fructuose instruatur, exacteque de principiis fidei ac regulis morum edoceatur populus, Eloquentia Sacra Sacerdotem instructum esse oportet. Ast ut praestantae Scientiae a vocatis ad sacerdotium non modo quaedam superficiali et primis duntaxat (ut ita dicamus) lambantur labiis, ad acquirendos solidos in eis profectus, postquam Latinam linguam, humanioresque litteras didicerint, Dialecticis sunt disponendi Institutionibus, quae juxta celebrem rerum sacrarum scriptorem Mabillonium eo collimant, ut veri, falsi, affirmationis, negationis, erroris ac dubii ideas intra nos gignant, inprimis autem ideam illationis et consequentiae, unde scilicet percipimus determinatam aliquam enunciationem ex alia sequi, item syllogismum aliquem apte concludere, secus vero alium, ut exinde ad recte concipiendum ac ratiocinandum exerceamur, et hinc noster dirigatur intellectus. Et utilitatem dialecticae S. Augustinus comprobans exemplis Cypriani, Lactantii, Optati et Hilarii (de doctr. Christiana Lib. II. c. 31. 40.) dicit ad omnia genera quaestionum, quae in litteris sanctis sunt, dissolvenda et penetranda plurimum valere. Harum proinde scientiarum (quarum brevem expositionem commendationemque praemittendam esse censuimus) studiis vacare alumnos Seminarii hujus volumus et ordinamus —

1º Ut in Seminario Dyceesi educetur Juventus Ecclesiastica in lingua lat. 4
in Rhetorica
tina et dialectica, nec non in Cathechismo Romano.
Ex quibus studiis certo tempore examen faciendum.
Unde ad Seminarium diocesanum (a quo omnia alia seminaria dependere voluit
Concilium Trid.:) alumni in primis elementis informati remittantur.
2º In Seminario Cathedrali, duo Professores, unus de mane, alter post meridiem
ex Patre Collet, item notitiam SS. Pa-
trum tradant Lectiones S. Scripturae, et Theologiae dogmaticae
trum. alumni vero quotidie ex N. T. octo versus addiscant memori-
ter. Jungenda historia V. T. duce Gravesonio, et Ecclesiastica ex eodem.
et de locis theologicis ex Melchiore Cano.
Commentarium in S. Scripturam Sati.. Tirini commendatur.
ex autore
3º Alter Professor. horis pomeridianis leget Theol. moralem per biennium
applicatam ad praxim administrandorum Sacramentorum
Adjunget lectionem Canonum
Item ritus ecclesiasticos –
4º Specimina seu examina habenda singulis quartualibus, et in fine anni
publicum generale examen.
Vacationes instituuntur a die 8. Julii ad 28. augusti
annusque scholasticus inchoandus per Sacramentum Poenitentiae et Eucharistiae ad
impetrandam divinam benedictionem.
Alumni primi anni tempus vacationis debent transigere in seminario,
dando operam exercitiis quibusdam ad progressum in lingua latina,
et formando characteri.
Illis vero, qui dimittuntur a seminario, conversatio exemplaris inter
laicos commendatur, atque frequentatio Ecclesiae parochialis,
pro devotione publica sub oculis parochi peragenda.
5º Duobus diebus in qualibet hebdomada, alumni ... anni, exerceantur
in S. Eloquentia, idque magis per exempla selectorum Concionatorum, quam
per praecepta, ... non in sublimitate sermonis sed in ostensione spiritus, verbum
Dei praedicare addiscant. Antequam vero in aliqua Ecclesia prae-
dicationi admittantur, prius sermo corrigatur, et peroratio exacte instituatur
domi privatim.
6º Exercitium in praeceptis et praxi Catechizandi;
et in cantu ecclesiastico.
7º Ad recreandum animum et capiendam liberiorem auram, bis in qualibet
hebdomada praesertim verno et aestivo tempore prodeant
in campum, iter facturi cum omni modestia, evitando cachinnos et con-
versationes profanas.
8º Ad ordines Ecclesiasticos promovendi sciant titulos, in iisque mini-
strent; novi vero presbyteri creati, (antequam se conferant ad suos
titulos:) tribus saltem mensibus in Seminario praxim habeant admini-
strandorum Sacramentorum, atque vicariis Cathedralibus in his adsistant, ab iisque
sumant methodum rite ministrandi; et ad catechizandum
in Ecclesia Cathedrali adhibeantur.

De Legibus et ordine servandis in Seminario.

Cum juxta S. Gregorium Nyssenum qui regula seu certa lege vivit,
Deo vivat, et Apostolus (: 1. Cor. XIV. 40.:) omnia honeste et secundum
ordinem fieri praecipiat, atque ordo, monente Augustino, ad Deum ducat;
nihil proinde magis desiderantes, quam ut Alumni Seminarij totos se, o-
mniaque sua momenta Deo dedicent, ad Deum omnibus actionibus suis tendant,
Deoque unice placere studeant, ac semper occupati, juxta monitum S.
Hieronymi, hostibus animarum suarum omnem ad se praescindant accessum, sequen-
tes illis inviolabiliter servandas leges, ordinemque temporis praescribimus.
1º

1ᵒ Candidati ad Seminarium habeant ~~[illegible]~~ testimonium baptismi sui, et anteactae conversationis.

2ᵒ Quique diat recollectiones absolvant, et dent submissionem in scriptis superiori dioecesanae dioecesis, aut solvendis impensis pro rata temporis, si derelinquere velint Seminarium, vel in aliam dioecesim migrare.

3ᵒ ~~[illegible]~~ ad Ecclesiam, oratorium et refectorium bini et bini procedent, eodemque ordine redibunt.

4ᵒ ad Ecclesiam vadent induti superpelliceis et cum birethis, ibique cum omni modestia manebunt.

5ᵒ Sacrum flexis genibus bis sacrum audiant in ordine.

6ᵒ Diebus festis tres turnatim ~~[illegible]~~ designandi manebunt in Ecclesia ad concinendum [illegible], ceteris ad cubicula redeuntibus. Insuper horis canendis vacabunt.

7ᵒ Cantaturi lectiones, Epistolas, et Evangelia, prius perlegant ne aliquem errorem committant.

8ᵒ Vicariis supplendis in aliquo munere non adhibeantur.

9ᵒ E seminario absque licentia et socio abire non audeant, neque cubicula sacerdotum in Collegio degentium visitent absque licentia.

10ᵒ Silentium etiam in cubiculis servent, et in necessitate loquantur voce non elata, sed demissa ut tantum concrete audiri queant.

11ᵒ [illegible] inter se amorem foveant, contentiones vitent, verba scommatica numquam adhibeant. Se invicem fraterne moveant, et non audientes deferant superioribus, servato ordine praescripto in Evangelio.

12ᵒ Superioribus reverentiam exhibeant.

13ᵒ Potus inebriativus alumnis in Seminarium furtive adferendus interdicitur.

14ᵒ ad addiscendam temperantiam, nihil edant vel bibant extra horam jentaculi, prandii aut coenae.

15ᵒ decentiam tam circa personas, quam in vestibus omnemque munditiam in supellectili servabunt.

16ᵒ Singularitatem etiam in pietate exercenda diligenter vitabunt.

17ᵒ In quacunque tam spirituali quam temporali necessitate ad D. Regentem cum omni fiducia recurrant.

18ᵒ Post pulsum campanulae ad capiendum somnum lumen mox extinguant et cubitum eant, mane vero ocyus cuilibet surgere licet.

19ᵒ Libros sibi traditos ad usum, nemini extra Seminarium commodent.

20ᵒ Ut sibi notitiam omnium comparent, suadetur, ut scribant ea, quae utilia vel in ss. meditationibus vel in lectionibus hauserunt.

21ᵒ Praefectus unus ex alumnis designandus tuendo bono ordini in omnibus invigilabit.

Ordo temporis.

Diebus festivis et non festivis per hebdomadam describit: qua hora surgendum, orandum, discendum etc.

De Officiis Moderatoris Seminarii.

1. D. Regens, cujus est recipiendos examinare et in librum hoc scopo comparatum
a.) eorum qualitates inscribere, receptos dirigere, omnibusque invigilare, alumnorum profectui spirituali et litterali consulere, nullique sollicitudini parcere; de eorum profectu judicium ferre. Incorrigibiles cum consensu loci ordinarii e Seminario amandabit.
b.) Rem oeconomicam administrabit, et integritati ~~[illegible]~~ redituum ~~proventuum~~ invigilabit.

2. Unus e DD. Professoribus in vice-regentem designatus, propius ~~in~~ alumnis invigilaturus.

3. Meminerint professores, se supremi magisterii Dni: Jesum tenere, ut alumnis in schola omnia adjumenta ferant ad proficiendum in scientiis et in omni bono, qui apparuit (: ait apostolus ad Tit. 2. 11. :) erudiens nos. Tota quippe ubi vita